



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Sed an talis tenetur confiteri, quantumvis sibi perfectè contritus videatur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

se & ex institutione sua, saltem primaria, supponunt & exigunt gratiam jam acceptam ut illam augeant, nam non augetur nisi id quod jam adest: alia verò non.

Hinc qui sibi conscius est peccati mortalis, graviter tenetur sibi gratiæ statum comparare, antequam recipiat Sacramentum vivorum; nam est grave sacrilegium ponere obicem gratiæ; cum enim Christus instituerit Sacramenta ut essent efficaciæ gratiæ signa, qui illa recipit ponendo obicem gratiæ, quantum in se est, inanem & falsam reddit eorum significationem, & abutitur institutione Christi, cui factio suo illudit.

Sed an talis tenetur confiteri, quantumvis sibi perfecte contritus videatur?

Resp. Id certum est de Eucharistia: de aliis aliqui etiam affirmant, sed longe plures de jure communi negant. Quia 1. Trid. sess. 13. cap. 7. docet solum ob Eucharistiæ perceptionem præcipi Confessionem, nulla factâ mentione aliorum. & sess. 24. c. 1. solum hortatur sponsoles ut ante Matrimonium confiteantur. 2. Ex Pontificali Romano. *Adulti deberent prius peccata confiteri, & postea confirmari; vel saltem peccata quæ admiserunt, doleant: non est autem major obligatio in aliis.* 3. Rituale Roman. dicit solum de Sacerdote mortalis culpæ sibi conscio, *ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde peniteat: sed si habeat copiam Confessarii, &*

temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.
 4. Quia non reperitur tale præceptum divinum, vel humanum saltem commune, in Ordine ad alia Sacramenta suscipienda. Tamen Confessio videtur, ex institutione Christi præponi debere Extremæ-Uncioni, cum hæc sit Pœnitentiæ complementum. Cæterum cum Sacramentum Pœnitentiæ majorem certitudinem gratiæ, & meliorem dispositionem conferat, sufficiens est causa semper Confessionis præmittendæ; hæcque est communis fidelium praxis.

Resp. III. Ad gratias Actuales Sacramentales, quas nempe Deus singulis Sacramentis ad finem cujusque proprium assequendum annexuit, recipiendas, duo requiruntur. 1. Ut eo tempore, quo homo ea auxilia recepturus est, sit in statu gratiæ; nam hic effectus non datur, nisi ut conjunctus gratiæ sanctificantis; & qui est in peccato redditur indignus supernaturalibus donis: unde in illo statu nullum habet jus ad talia auxilia. 2. Ut is non ponatur obex per dispositionem actualem ipsi repugnantem.

Resp. IV. Præter voluntatem recipiendi Sacramentum, & statum gratiæ, reverentia Sacramento debita exigit devotionem actualem: quæ quantò major erit, tantò uberius fructus percipietur; nam Sacramenta gratiam conferunt secundum propriam cujusque dispositionem. ex Trid. sess. 6. c. 7.